



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**LEGVM PON||TIFICIARVM GRE-||gorij noni, seu  
Decretalium pentateu-||chus**

**Mesnart, Martin**

**Parisiis, 1555**

xlvi. De obseruatione ieiuniorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63486](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63486)

reliquerit, menses treis ab officio suspenditor. Si quid per eius incuriam nefandum inde cōtigerit: grauiori vltioni subiacteto.

Sed & clerici ecclesias supellectilibus propriis alienisve ne exponūto, néve hæc in ipsis admittunt. Tantūm si hostileis incurfus, incendiave repentina, aut aliæ necessitates vrgebunt: ad eas refugium hoc habetor. Cessante quoque necessitate res in loca pristina reportantor. Ecclesiæ dei basilicæ sunt. Oratoria, ministerii vasa, corporalia, & vestimenta ministrorum, pallas altaris clerici munda, nitida, habento, conseruanto.

*De reliquiis, & veneratione sanctorum. Tit. 45.*

ANTIQUAE reliquiæ extra capsulam omnino ne ostenduntor, néve venales exponuntor. recēs inuentas, ni prius autoritate Romani archisflaminis adprobatae erunt, nemo publice venerator. Prælati volgum ad eorum ecclesias venerationis ergo accedentem figmentis, falsisve documentis decipi ne sinunt. Sic, occasione quæstus ne quid fiat, cauento.

Nemo quoque aliquem pro diuo, etsi per eum miracula fient, absque Romanæ ecclesiæ autoritate venerator.

*De obseruatione ieiuniorum. Tit. 46.*

OMNIUM apostolorum vigiliæ, præterquã Philippï & Iacobi, ac Ioannis Euangelistæ



in obseruatione ieiunii celebrantur. In aduentu quoque domini apud quos consuevit ieiunium agitur. Sanctorum vigiliae quorum festiuitas secunda feria celebrari oportebit precedenti sabbato ieiunium habent. De festiuitate tamen Bartholomaei apostoli celebranda consuetudo regionum seruatur. Diebus quadragesima si quis famis tempore in annonae inopia carnes comedere coactus fuerit sine fraude esto. Cum ipsi tantum qui hoc faxint ecclesia, ne illis imputetur, ad dominum preces fundito. Debilibus in sabbato, si non repugnabit regionis consuetudo, carnes sumere licet. Sed et si consuetudo non patietur, debilibus tamen & infirmis ne quod propterea periculum emergat episcopi locorum vident. Infirmis in quadragenario aliisque sollemnibus ieiuniis esum carnum, si postulabunt, & vrgens necessitas exiget, recte indulgento.

3. *Explicari.*

Sed & qui nec voto, nec regulari obseruatione adstricti sunt, in sexta feria, si festum dominicae anthropogenesis ipso die euenerit, caribus vescendi potestatem habent. Si quis tamen deuotionis ergo abstinere uolet sine culpa esto.

1. *Ex parte.*

Cum eadem anthropogenesis domini, beatae Mariae apotheosis, alicuiusve apostolorum festiuitas feria secunda contigerit, die, ut dictum est, sabbati eam praeeunte, item beati Mathiae apostoli vigilia ieiunator.